

Zeitschrift: Archiv für schweizerische Geschichte
Band: 3 (1844)

Quellentext: Pièces justificatives
Autor: [s.n.]

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 05.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Pièces justificatives.

A.

Dominus Jacobus de Porta sancti Ursi recognoscit se multa dominia tenere in feudum in valle augustensi ab episcopo et Ecclesia sedunensi.

Anno 1218, quinto idus Januarii.

(ANNA - JOSEPHUS DE RIVAZ, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, tomi XI. [ab anno 1200 ad 1275] p. 135 et 136.)

(Ex Archivio agaunensi, Livre dit de la Val d'Illiers, p. 77, et ex copia registri perantiqui Archivii Valeriani.)

Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, quinto idus Januarii, in praesentia multorum prudentum virorum quorum nomina inferius leguntur, cum Jacobus de Porta sancti Ursi requisitus ex parte episcopi et Ecclesiae sedunensis per Aymonem de Casaletto canonicum sedunensem ubi esset feudum quod tenebat ab ipso episcopo et Ecclesia sedunensi, idem Jacobus confessus est se tenere in feudum a praedictis scilicet episcopo et Ecclesia sedunensi totum quod domus de Porta sancti Ursi habet in villa quae dicitur Casaletum, et totum quod habet in villa quae dicitur Versel, et totum quod habet in parrochia sancti Vincentii, et totum quod habet in villa quae dicitur Excisa, et totum quod habet in villa de Chalan, in monte et in plano, cultum et incultum, excepto roido et eminata terrae et ista duo tenet a comite. Adhuc confessus est se tenere in feudum totum quod habet et alius per eum ultra aquam de Ussima ¹⁾ et usque in summitatem montium, cultum et incultum, silvas, pascua, prata, alpes sci-

¹⁾ Aujourd'hui Issimâ, paroisse située dans la région inférieure du val-Lésa (*Lysthal*) en Val-d'Aoste.

licet. Gressonei ²⁾ et Verdobi ³⁾ et unum mansum qui jacet in loco qui dicitur Huo et in villa quae dicitur Quintinai in valle de Monte alto, et ex hoc confessus est episcopo sedunensi debere et facere ligietatem melius quam alii homini, salva fidelitate comitis ultra montes. Item confessus est se debere ex hoc feudo quatuor libras placiti quando accidit et debere ex hoc feudo facere episcopo sedunensi quando vadit Romam unum receptum et alia servitia debet facere multa sicut domino suo. Actum est hoc de confessione ista infra castellum de Quarto in valle augustana in camera ubi praedictus Jacobus jacebat infirmus. Ad hoc interfuerunt testes Jacobus augustiensis episcopus, Bonifacius prior sancti Ursi, Aymo de Casaleto augustiensis et sedunensis canonicus et Abo capellanus de Dovia. Item huic confessioni interfuerunt Bermundus de Monte Jovis, Gotefridus de Porta sancti Ursi, Rodulphus de Arlie, Villencus de Palatio, Vullielmus de Valle-pellina et Uldricus minister et multi alii.

B.

Causa notandi antiquitatem hospitalium de Sarqueno et de Simplono spectantium ad ordinem sancti Johannis hierosolymitani et probandi illas domos pertinuisse ad prioratum sabaudicum.

Anno 1235.

(ANNA-JOSEPHUS DE RIVAZ, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, t. XI. [ab anno 1200 ad 1275] p. 308.)

(Ex Archivio Communitatis Sarqueni.)

Noverint universi praesentem cartam inspecturi quod nos frater Vullielmus de Chomunt commendator domus hospitalis de Conflens de consensu fratris Petri de la Clusa commendatoris

²⁾ Gressonay, grande commune composée de St. Jean, de Gressonay et de Trinita, situés dans la même vallée, mais plus haut, en remontant vers le Mont-Rosa. — ³⁾ Aujourd'hui Ferdobio, hameau situé entre Issimâ et Gressonay.

domus hospitalis de Salqueno ¹⁾ et fratris Bernardi magistri domus hospitalis de Senplon et fratris Manneri dedimus et concessimus Walthero Seman et heredibus ejus medietatem vineae hospitalis de Senplon quae vinea sita est in territorio de Massona pro duobus modiis vini annuales annuatim reddituris nuntio hospitalis de Senplon in vindemia. Verum tamen si dictus Waltherus vel heredes sui praedictum servitium non redderent praedictae domui in vindemiis, iterum praedicta vinea ad supradictam domum hospitalis de Senplon devolvatur donec praedictum servitium integraliter esset restitutum. Quod ut ratum permaneat, nos frater Vullielmus de Chomunt commendator domus hospitalis de Conflens praesentem cartam ad petitionem praedicti Waltheri sigilli nostri appositione confirmavimus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quinto. Quam confirmationem frater Aymo de Germillie commendator domus hospitalis de Conflens ²⁾ ad petitionem Johannis Clerici de Narres et heredis sui sigilli nostri munimine roboravimus. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto.

(Pendaient effectivement à cet acte, qui est original, deux sceaux arrachés.)

C.

Gotfredus, dominus de Challand, vice-comes de Augusta, se vasallum confitetur esse abbatis et conventus Sancti-Mauritii agaunensis ipsisque homagium facit de suo castro de Challand, etc.

Anno 1263, mense Julio, sabbato post festum beatae Mariae Magdalенаe.

(ANNA-JOSEPHUS DE RIVAZ, canonicus sedunensis, *Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia*, t. XI. [ab anno 1200 ad 1275] p. 636.)

(Ex Archivio agaunensi, Carthophylacii abbatis Charleti t. I. p. 196, ex originali.)

Nos Gotfredus dominus de Challand, de Augusta vice-comes, notum facimus universis praesentes litteras inspecturis quod nos

¹⁾ Sarquenen, Salgenen, hodie Salgesch ou Salges, au Dixain de Louèche (Leuk). — ²⁾ Conflens, province de Tarentaise en Savoie.

confitemur et recognoscimus nos tenere in feudum de viris religiosi abbate et conventu Ecclesiae Sancti-Mauritii agaunensis castrum de Challand, montanam quae vocatur Palaisina, terras de Voton, montanam quae vocatur Suremont et montanam quae dicitur Fontesia cum omnibus decimis montanarum et terrarum dictarum. Confitemur etiam et recognoscimus nos pro dicto feudo debere placitum in mutatione vasalli et dicimus quod quadraginta solidos, item servitium annuale in festo beati Martini et dicimus quod viginti solidos secusienses, promittimus autem quod si inveniatur plus esse de dicto feudo vel alia deberi pro eo usagia quam superius exprimitur nos illud recognoscemus libenter ac usagia faciemus. In cuius rei testimonium, tradidimus has litteras sigillo nostro sigillatas. Datum, Augustae, sabbatho post festum beatae Mariae Magdaleneae, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio.

